DISSERTATIO INAUGURALIS DE TINEA QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE...

Giuseppe Carcano



DE

TINEA

ρ9c

DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE TINEA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE
D.RE CAMILLO PLATNER
MEDIC. LEGAL. ET POLIT. MED. PROF. ORD.


UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS
Mense Septemb. anno 1840
PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

NOB. CARCANO JOSEPH
MEDIOLANENSIS.



TICINI REGII
Ex Typographia Fusi et Socii.




272



MORBI DEFINITIO ET DIVISIO.

Tinea vel *scabies capitis* impetiginem sistit essentialem, apyreticam, chronicam, contagiosam in parte capillitia capitis, sub forma vesicularum, aut pustularum prurientium. Hae vesiculae et pustulae formam conicam vel sphaericam subeunt, basi durae et rubrae vel coloris cutis, apice vero molliores; albescentes vel flavescentes produnt, et dum rumpuntur humorem viscidum, foetidum in crustas diversi coloris ac variae consistentiae coagulabilem, plorant. Elapsis temporibus tinea dividebatur in *tineam capitis*, et *tineam faciei* seu *crustam lacteam* vel *lactumen infantum*. Quoque practicis communis erat tineae divisio in *benignam* et *malignam*. Clarissimus vero *Alibert*, hasce divisiones utpote incertas habet, et unica *tineae* denominatione veterum species tineae amplectitur. Nihilo tamen secius et auctor modo lau

datus, diversas varietates tineae admittit, quaa potissimum modificationibus eruptionis innituntur. Hujuscemodi essent: 1 *Tinea favosa* seu *alvearis*, *favus*, 2, *rugosa*, *granulata*; 3, *furfuracea* vel *porriginosa*; 4, *amiantacea*, *asbestina*; et 5 *mucosa*.

SYMPTOMATA.

Symptomata quae aegrotantibus accusantur sub initio bujusce morbi essent potissimum: pruritus plus minusve molestus capitis, rubor hinc inde in dermata regionis calvariae, tumiditas et rugae in partibus affectis. Pruritus et ardor porro de die in dies adaugentur, tunc inter capillos pustulae aut vesiculae cum halone rubro vel roseo distinguuntur; interdum ulcerationes diversae apparent e quibus humor viscidus et subruber modica copia profluit; alias cutis hinc inde in tumores circumscriptos, nunc discretos ac sejunctos, nunc frequentes inter se nuptos diversae figurae et voluminis, elevatur. Tumores hujuscemodi basim duram, et apicem albescentem exhibent, nec non sero albo-flavescente implentur. Dum serum, post rupturam pustularum aut vesicularum effunditur, aegrotantes odorem ingratissimum spirant; capilli hocce liquido foedati mutuo adhaerent,

et quum ex vesiculis, pustulis aut abrasionibus continuo humor viscidus ac foetidus secernatur, hinc diversae efformantur crustae, quibus caput modo hac vel illa plaga solummodo, modo in universo ejus ambitu tegitur. Capilli, cutis, bulbi pilorum persaepe adfectis partibus humore ichoroso foedantur; nonnunquam cutis adeo ulceratur ut pericranium et cranium ipsum in coospectum veniat, dum aegrotantes doloribus osteocopiis noctuinis, marcore, ipsoque marasmo opprimuntur. Non raro abscessus in cute capitis apparent, quos tumiditates glandularum nucae, scapulis, aut axillis frequenter comitantur et sequuntur. Aures externae mirum in modum inflammantur ac tument, palpebrae phlogosi correptae rubent atque illacrymantur; facultates intellectuales aliquantulum cohibentur, corpus universum languet, ipsaque pubertatis evolutio tum in maribus tum etiam in foeminis retardatur.

Capilli qui partibus adfectis respondent labuntur, et novi qui superveniunt perrari, albescentes, exiles et lanuginosi tantum produnt. Tumiditas glandularum colli et nucae persaepe sub maximo morbi incremento, interdum attamen primis diebus conspicitur.

Tinea raro infantem lactantem aggreditur; frequenter secundo vel tertio anno saevit, et

aliquibus casibus usque ad septimum annum protrahitur. Generatim haec adfectio tempore pubertatis utroque sexu sanatur, licet nullum therapeuticum auxilium in usum vocatum fuerit. Vidimus paulo supra, quod *Alibert* tineam, spectata forma eruptionis, in quinque varietates distinxerit; meum nunc erit de hisce singillatim verba exponere.

1. *Tinea favosa seu alvearis, favus.* — Dignoscitur crustis quae tubercula flavescentia constituunt, modo separata, modo circularia mutuo convenientia sub forma arearum diversae extensionis in parte comata capitis, quarum centrum depressum et margines irregulares elevati, adspectum favi illis largiuntur. Persaepe haec tinea inchoatur pustulis exiguis, plus minusve prurientibus; sub ruptura pustularum, liquidum effunditur quod aeri atmosphaerico condensatum crustas modo expositas constituit. Hae crustae temporis lapsu numero et volumine gradatim augentur, dum caeterum formam orbicularem semper ostendunt. Interdum tubercula numerosissima in variis regionibus cranii sub forma alvearii distinguuntur; aliquando ipsa universum caput deturpant. Tinea favosa sub morbi initio crustas flavescentes aut flavo-aurantiacas praesefert; morbo provectiori crustae pallescunt, exsiccantur, scinduntur et

decidunt, et tunc sulci nec non inaequalitates in dermate per aliquod tempus persistunt. Tubercula tineae favosae maxima difficultate cum sanguinis effusione atque dermatis lacerationibus solummodo arte sejungi sinunt. Cutis, cui tubercula ante haerebant ulceratur, atque humorem ichorosum, foetidum, purulentum plorat, unde integumenta frequenter destruuntur, et ossa cranii nonnunquam diversis partibus denudantur.

Quo magis tubercula numero adaugentur, eo magis pruritus intenditur ac permolestus fit; atque pediculi, mirum in modum, frequentar sub crustis reproducuntur. Ex universo capite odor peringratus ad instar urinae corruptae prosilit. Post lapsum crustarum, adplicitis emplastris emollientibus, odor capitis nauseosus, fere illo adipis rancidi conveniens evadit.

Inter unum et alterum tuberculum, cutis squamulis exiguis obtegitur, quae potissimum universae irritationi systematis dermatici cranii adscribendae sunt. Separatis ac demissis crustis, sero et quidem maxima difficultate epidermis reproducitur; derma rubrum, irritatum, ulcerationibus hinc inde detinetur, atque per longum tempus humore viscido, flavescente, odoris ingrati oblinitur. Quoque abscessus minimi in diversis partibus parum elevati renovan-

tur, qui utpote tot centra phlogoseos localis peculiaris habentur. Ubi labuntur capilli, cutis levigata et splendens conspicitur, et tantum post longum tempus capilli albidi, perexiles et rari exeunt.

Tinea favosa non solum partem comatam capitis, verum etiam (licet raro) frontem, tempora, superficiem scapularem, aliasque regiones dorsi et artuum diligit.

2. *Tinea granulosa.* — In hac tinea crustae tubercula exigua praeseferunt irregularia, griseæ, fusca, absque abrasionibus et foveis in eorum apice, et generatim morbus minus quam tinea favosa superficie extenditur. Frequentius regionem occipitalem tenet, in qua diversae et quidem minimae crustae coloris grisei vel terreo-fusci, durae, aliquando lapideae consistentiae notantur. Granulationes propriae huic speciei minus adhaerent dermati capitis quam tubercula tineae favosae; ast pariter ac tubercula ipsa squamulis ad instar furfurae obvolvuntur. Odor tineae granulosae cum illo convenit butyri rancidi, aut lactis corrupti; majori intensitate caput graveolet quo magis crustae recentes et humidae distinguantur; odor plane disparet dum crustae exsiccantur ac duritiem lapideam aquirunt. Pruritus, speciatim morbi initio, est permolestus. Cutis inter capillos et

crustas rubet et splendet; hinc inde abscessus minimi produnt, qui nullam plane sub attactu superficiem irregularem largiuntur; sed progressu temporis humorem suppeditant peculiarem, qui in crustas modo expositas condensatur.

Practicis vix non omnibus, haec tinea nonnisi parte capillitia capitis observata est. *Alibert* attamen rarissimos refert casus, in quibus frontem, supercilia et regiones laterales nasus ipsa aggrediebatur.

3. *Tinea furfuracea.* — In hac tineae varietata squamulae apparent furfureceae, albidae, plus minusve crassae et consistentes, interdum humidae et intime capillis junctae ope humoris viscidi foatentis, interdum siccae, friabiles, atque maxima facilitate integumentis et capillis separantur. Praesens morbus, levi cuticulae capitis desquamatione inchoatur cum pruritu; porro integumenta irritantur ac phlogosi detinentur, humorem ichorosum deponunt qui adhaeret capillis, exsiccatur, et in squamulas furfuraceas modo descriptas convertitur. Quo magis adaugetur morbus, eo magis squamulae numero et consistentia crescunt, et superficiem ampliorem tenent. Haa squamulae sunt generatim albidae, nonnunquam roseo aut luteo colore tinguntur. Dum exsiccantur, per motus le-

ves capitis, scalpturam unguium, aut modicum capillorum et capitis frictum facile labuntur, et tunc cutis denudatur epidermide, at roseum colorem, superficiem levigatam at splendentem ostendit. Alias vesiculae in variis partibus erumpunt, quae ulcerationibus exiguis originem praebent; tunc cutis humida, humore viscido graveolente, odoris lactis acescentis oblinitur. Aegrotantes hac tinea correpti, intolerabilem pruritum accusant, qui pro maxima parte perringenti pediculorum reproductioni adscribendus est. *Alibert* testatur hanc varietatem tineae, utpote simplicem modificationem tineae granulosae habendam esse, eo quod in utraque tinea, squamulae capillis adhaerent, et proinde coagmentationes elasticae capillorum efformantur, quae minime in aliis formis tineae apparent.

Tinea furfuracea frequenter cutim comatam, nonnunquam vero frontem et superoilia occupat. Nonnunquam a practicis cum scabie furfuracea confundebatur, a qua ultima adfectione spentatis origine, forma vesicularum, atque aegrotorum aetate facile distinguitur. Pueri septem annorum prae infantibus hac tinea corripiuntur. Adulti vero fere nunquam hac tineae varietate aggredi solent.

4. *Tinea amiantacea vel asbestina.* — Haec

peculiaris tineae forma primum a clarissimo *Alibert* delineabatur. Apparet cum squamulis exilibus, lucentibus, argenteis, per quas capilli in fasciculos et massam informem abeunt adspectus amiantacei secus integrum eorum longitudinem. Speciatim tinea amiantacea in partibus superioribus atque anterioribus capitis observatur. Abrasis capillis cutis denudatur rubra, inflammata, nonnihil sulcis distincta; ast sulci minori numero ac magis superficiales quam in aliis tineae varietatibus observantur. Licet in tinea amiantacea squamulae pendeant ex humore separato a cutis superficie, nihilominus in posterum nulla humoris collectio prodit.

5. *Tinea mucosa.* — Praesefert crustas molles, humidas, flavescentes quae facile separantur, atque superficiem derelinquunt cutaneam muco viscido oblinitam. Referente *Alibert*, non solum a *crusta lactea* differt, perspecta mucositate crustarum; verum etiam origine, localitae ac pluribus aliis symptomatibus ab *infantium lactumine* distinguitur. Reapse in *crusta lactea* simplicem habemus congeriem crustarum adinstar furfuris albescentis, sicci, quae tantum infantes tempore lactationis deturpat; in *tinea mucosa* econtra morbus violenter exoritur, ulcerationibus comitatur a pustulis aut vesiculis minimis procedentibus humore viscido

ac perlucido repletis; caeterum *tinea mucosa* ingravescente morbo abscessus aliquando ostendit summopere dolentes, ac febri characteris angiosthenici stipatur.

Pustulae ac vesiculae frequenter ungulum scalptura rumpuntur, tunc humor profluit tenax, viscidus, instar mellis corrupti, qui cito in crustas molles, albo-flavescentes condensatur. Nonnonquam crustae hujuscemodi colore cinereo, viridescente aut roseo notantur. Ab initio ad finem morbi liquidum mox notatum deponitur atque ulterius coagulatur; interdum humor ejusdem plane indolis e naribus profluit. Cutis non exulcerata tumet, rubet, atque niminis abscessubus spargitur. Tumiditas integumentorum aliquando ipsas aures invadit, adeo ut hae partes duplex volumen prae normali statu aquirant. Tunc morbus non raro ad genas et diversas regiones faciei protenditur cum maximo ardore et pruritu partium adfectarum. Capilli labuntur; cutis, epidermide spoliata, rosea, rubro-fusca, splendens, humida, frequenter humore caseoso illinitur, atque odorem lactis exacescentis spirat. Quod si forte haec perversa secretio humoris mucoso-caseosi de repente cohibeatur, tunc crustae exsiccantur, infans fit tristis, melancholicus, inquietus; dum econtra redeunte hac secretione abnormi aeger levatur, et hilaris prodit.

Tinea mucosa, prae aliis infantes diligit ante quartum annum; licet frequenter caput aggredi consuescat, nonnunquam faciem, dorsum, et ipsos artus invadit. Haec tinea plures minitatur aegrotantibus ruinas, dum haud raro atrophia, marasmus, tabes et scorbutus sequuntur.

Inter diversas tineae formas, tinea *mucosa* et *favosa* frequenter apparent, *furfuracea* porro et potissimum *amiantacea* solummodo perraro aegrotantes defatigant.

CAUSAE.

Quoad causas, in primis advertendum est infantiam ac pueritiam prae aliis aetatibus, tineae disponere. Revera tinea mucosa vix non semper disparet elapsa eruptione omnium dentium deciduorum, et reliquae tineae modificationes fere nunquam post epocham pubertatis invadunt. Ratio qua primis aetatibus tinea frequenter apparet, a nonnullis practicis majori activitati ac sensibilitati cutis totius capitis in infantia et pueritia quam in aliis vitae periodis, adscribitur. Compressio et calor auctus capitis propter lintea et pilea potius ponderosa, atque materiae nutritiae redundantia, quemadmodum tot causae disponentes et occasionales tineae numerantur.

Temperamentum sanguineum et biliosum speciatim disponunt *tineae favosae*; infantes qui donantur cuti coloris terrei frequentius *tineam granulosam* patiuntur. *Tinea furfuracea* homines delicatulos, capillis fulvis instructos; *tinea amiantacea* melancholicos; et demum *tinea mucosa* infantes qui capillis subrubris donantur, diligunt.

Quum vero haec adfectio non raro matribus et infantibus communis evadat, hinc dubitatum est quod jure haereditario tempore conceptionis, de parentibus ad natos communicetur; hocce dubium ulterius adaugebatur, dum praxi confirmatum venit, tineam plura individua ejusdem familiae aggredi posse, licet nulla inter haec varia individua communicatio existat.

Pariter ambigunt auctores an semper tinea indolem contagiosam praeseferat nec ne. Etenim dum per inoculationem tinea aliquando aliis individuis haud communicatur, nonnunquam per simplicem aegrorum contactum, aut adplicationem cataplasmatis inquinati humore ichoroso tineae, haec adfectio citissime et quidem maxima intensitate irrumpit.

Alimenta vero dyspepta, farinacea, oleosa, pinguedinosa, corrupta; habitationes humidae parum ventilatae; loca depressa et paludosa, spurcities corporis, eoque magis neglecta capitis

cultura, utpote tot causae efficientes habentur tineae favosae; et reapse dum pauperum infantes *tinea favosa* mulctantur, infantes divitum solummodo *tinea granulosa*, *amiantacea*, et *mucosa* aggrediuntur.

Generatim omnia quae circulationem prae norma adaugent, et irritant integumenta capitis, quemadmodum tot momenta disponentia et occasionalia tineae in infantibus et pueris habenda sunt; quibus omnibus aerumnae domesticae, et animi pathemata nutricum addere possumus, propter intimam relationem quae inter lactantes et nutrices observatur.

NOSOGENIA.

Jam dudum disputatum est in qua nam integumentorum parte substratum tineae existat. Perperam a nonnullis in qualibet varietate hujusce adfectionis, ultima morbi sedes in capillorum bulbis admittebatur, nam tinea favosa et mucosa aliquando regiones occupant in quibus pili cujuscumque demum generis desiderantur. Monente pluries laudato *Alibert* vera morbi sedes in systemate capillari dermatis inquirenda est. Sub initio morbi reapse vasa capillaria cutis distenduntur propter adauctum sanguinis fluxum; tunc cutis rubet, tumet, di-

strahuntur nervi, et pruritus ac dolores promoventur; in posterum vesiculae et pustulae quae apparent et humorem plus minusve viscidum, foetidum atque ichorosum plorant, quemadmodum tot posthuma hujusce phlogoseos dermaticae considerantur. Haec vero opinio eximii *Alibert* circa ultimam sedem et essentiam tineae notionibus aetiologicis, therapia, atque anatome pathologica confirmatur, nam tinea semper causis stimulantibus atque irritantibus promovetur, methodo interna antiphlogistica devincitur, et aliquando dum forte supprimatur interoas phlogoses viscerum capitis, pectoris, et abdominis excitat, unde vita aegrorum minitatur vel etiam extinguitur. Sectiones cadaverum, pervolvente hoc morbo peremptorum, indicia luculentissima vigentis, aut praegressae phlogoseos tum in capite, tum in aliquibus organis nobilibus manifestarunt.

Nonnulla pericula chemica instituta fuerunt super crustas diversarum tineae varietatum ab eximiis *Thénard* et *Vauquelin*. Ex hisce edocemur in *tinea favosa* magis abundare albumen quam gelatina, in *furfuracea* gelatinam praevalere albumini, et demum in *tinea granulosa* sohummodo gelatinam inventam fuisse. *Alibert* porro arbitratur in *tinea mucosa* crustas peculiari principio caseoso pollere.

PROGNOSIS.

Generatim haec adfectio quamvis pervicax, et difficilis sanationis, absque vitae discrimine decurrit. Tinea cujuscumque varietatis nunc continua, nunc ad temporis intervalla remittens, plus molesta et sordida quam periculosa, per annos frequentissime producitur. Nihilominus, post longum temporis lapsum dum procedit et sustinetur quadam universali dyscrasia, symptomata molesta non solum verum ipsam aegrorum vitam minitantia promovet.

Dum in pueris irrumpente tinea, symptomata difficilis dentitionis, ophtalmiae chronicae, otirrhaeae, aliaque similia imminuantur, hinc practici affirmarunt tineam ipsam aliquibus casibus veluti criticam habendam esse. Hoc vero facilius observatur in infantibus caeteroquin robustis, qui integumentis delicatulis instruuntur. Minime attamen cum vulgari opinione conveniendum, quod tinea indicium praebeat sanitatis et roboris infantis, nam licet excipiantur incommoda diversa quae tinea comitantur et sequuntur, experientia docemur, frequentissime scrofulam in causam esse, ut haec sordida capitis eruptio evolvatur. Persaepe tinea, quae nulla therapeutica methodo devincebatur, irrumpente pubertate sponte resolvitur.

Symptomata pathognomonica tineae quae ingravescunt, decursus chronicus, improvisa impetiginis hujuscemodi suppressio, et potissimum variae complicationes organorum nobilium, prognosim magis dubiam reddunt. Quandoque sub repentina suppressione tineae meningitides, encephalitides, ophtalmiae, otitides, aliaeque phlogoses metastaticae in pectoris vel abdominis visceribus apparuere, e quibus in posterum hydrocephalus, apoplexia, vesania, amaurosis, cophosis, dyspnoeae, phthisis, hydropes, tabes aliaque hujuscemodi cum certa aegrorum ruina originem dignoscunt.

CURA

Ut cura rationalis tineae institui queat, necesse est in primis morbi causas, decursum, symptomata, et sequelas morbi hujusce jam enatas in universo corpore, omni solertia ad trutinam revocare. Quoties nullum existat indicium tineae criticae, in primis arcendae vel saltem imminuendae sunt causae omnes quae evolutioni tineae ansam praebere valent. Proinde alimenta solum modica copia usurpanda sunt; atque purgantibus, diaphoreticis, et revellentibus ad artus nimia humorum copia a capite derivanda est. Haud parum in hoc morbo

opitulatur, diversa emunctoria in variis corporis partibus procul capite instituere, jacturas humorum suppressas denno promovere, nec non complicationes syphiliticas, scrofulosas et sic porro, imminuera vel etiam omni intuitu fugare. Prae aliis vero mundities totius corporis, et speciatim capitis necessaria est, ut cum aliquo aegrorum levamine cura instituatur.

In hac adfectione therapia quae consulenda erit non modo externis adminiculis, verum internis medicaminibus absolvitur. Remedia externa omnino indoli morbi, extensioni atque intensitati impetiginis respondere debent, nec non substantiis intus praescriptis sustinenda sunt. Caput in primis pediculis, crustis, atque aliis sordibus expurgandum est per lotiones repetitas, abrasionem capillorum, solertam partis calvariae capitis culturam. Cavendum tamen sedulo, ne caput refrigerio improviso exponatur, nam per vicissitudines atmosphaericas, eoque magis si post abrasionem capillorum, caput pannis lineis haud tegatur, impetigo persaepe de repente disparet, et internae metastases periculo plenae promoventur. In tinea tum recente tum chronica, dum adhuc perstant symptomata localia phlogoseos, nimirum tumor, rubor, sensilitas aucta integumentorum capitis cum imminuta secretione hu-

moris, externe ad emollientia, et ad antiphlogistica, derivantia atque evacuantia interne confugiendum est. Lotiones proinde cum aqua tepidula, fomenta emollientia, cataplasmata ejusdem indolis, inunctiones cum unguento simplici, oleo emolliente, adipe aut butyro absque sale conveniunt directe partibus adfectis; intus postea omnia antiphlogistica, potus emollientes, diluentes, sanguinem ut dicunt depurantes; remedia quae munus perspirationis cutaneae promovent, ut essent: decoctum altheae, malvae, verbasci, graminis, bardanae; tamarindus, cassia, pulpa prunorum, manna, cremor tartari etc. maximum aegrotantibus levamen afferunt.

Dum secretio humoris foetentis et ichorosi adaugetur, fere semper symptomata phlogoseos imminuuntur; ast humor ipse qui effunditur atque in crustas condensatur reproductioni favet pediculorum, unde pruritus et aegrorum molestiae saltem locales pro parte adaugentur. Hisce casibus dum interne antiphlogistica, deprimentia et solventia praescribuntur, directa integumentis adfectis fomenta et lotiones cum aqua saponata, aqua et aceto, aut decocto jaceae maximi facienda sunt, et quoties haec adminicula localia haud sufficiant ad pediculos enecandos, tunc pulvis sabadillae, vel staphisagriae capiti adplicatur.

In tinea chronica, fugatis omnibus symptomatibus phlogisticis, ad cohibendam nimiam ichoris secretionem et reproductionem crustarum diversa praedicantur topica remedia, non neglectis attamen interne illis pharmacis, quae universalem labem, et complicationes diversarum adfectionum tollere aut saltem imminuere possunt. Proinde eodem tempore quo intus praescribuntur antimonialia, mercurialia, eccoproptica, diaphoretica, nitrum, digitalis, extractum aconiti etc., convenit remedia nonnihil irritantia et exsiccantia crustis directe admovere. Praetervidendum pariter non est, quod haec pharmaca plus vel minus irritantia et exsiccantia magis arrident sub forma unguenti in cuti arida densa et dura, dum contrariis casibus in tegumentis mollibus et laxis potius sub forma fluida diligenda sunt. Inter remedia, quae practicis speciatim hoc morbo directe celebrantur eminent: unguentum sulphuratum simplex et carbone mixtum, unguentum oxygenatum, illud *Jasseri*, et neapolitanum, lotiones cum aqua saponata, solutiones carbonatis potassae, acetum dilutum, aqua salita, acida mineralia multum diluta, nempe sulphuricum, nitricum, hydrochloricum; solutio hepatis sulphuris, sublimati corrosivi acetatis cupri, et secundum *Callisen* atque *Dessault*

infusiones aut decocta herbae cicutae, tabaci, etc. Unguentum mercuriale, lotiones cum sublimato corrosivo, acetate cupri, aut decocto tabaci, nonnisi conveniunt quam in tinea gravi pervicaci, reliquis remediis mitioribus rebelli; et etiam hisce ultimis casibus cautissima manu adplicanda sunt, ne symptomata summe periculosa in universo corpore promoveantur. Haec unguenta minima dosi sub initio mane et vespere partibus adfectis admoventur; lotiones vero ter vel quater in die solummodo renovantur, ne phlogosis localis gravis incendatur, aut sub improvisa chronicae secretionis suppressione cerebrom, vel alia organa nobilissima phlogosi metastatica aggrediantur.

Clarissimus *Ewers* in tinea rebelli post abrasionem capillorum, emollitis antea crustis ope axungiae suillae, collaudat adplicationem emplastri gummi ammoniaci et aceti in partibus adfectis, dum uno eodem tempore artificialem suppurationam promovet per fonticulum aut setaceum.

Quibus omnibus per aliquod tempus periclitatis absque ullo aegrorum levamine, tunc medico licet in casibus extremis ad artificialem extirpationem bulborum capillorum confugere. Hoc intuitu *dropaces* ex pice navali, gummi ammoniaco et therebintina a practicis quampluribus quammaxime collaudantur.

Balnea universalia et localia tepidula, emollientia, saponata, alcalina, et sulfurea, nec non vapores sulfuris in tinea scrofulosa, utpote utillima habentur.

Devicta tinea, sedulo vitandae sunt illae omnes prophases, quae directe vel indirecte evolutioni hujusce adfectionis favent. Per aliquod tempus cura interna leniter antiphlogistica continuanda est, dum vitalitas atque tonicitas integumentorum capitis cum ungnento ex drachma florum zinci et uncia axungiae suillae promovenda venit, ipsum unguentum semel aut bis in die directe partibus adfectis applicando.

Symptomatibus ominosis, quae occurrunt post tineae suppressionem, revellentibus cutaneis, atque antiphlogisticis consulendum erit.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ.

I.

Sthetoscopium pro morborum pectoris diagnosi prorsus supervacaneum.

II.

Phrenologiam systema psycologicum omnium praestantissimum.

III.

Cadaverum abundantiam anatomes progressui haud favere.

IV.

Princeps hepatis officium sanguinis dephlogisticationem.

V.

Precipuam medicorum virtutem, patientiam.

VI.

Medicum de humana societate optime meritum, et in humana societate pessime constitutum.

VII.

Mercurium plus mali quam boni hominibus attulisse.

VIII.

Omnes sensus ad tactum reduci posse.